

**Oratio de thermarum potu. In ... inclytæ academiae Basiliensis cum
solemnitates doctorales subierit publice dicta ... / [Johann Jakob Wepfer].**

Contributors

Wepfer, Johann Jakob, 1620-1695.

Publication/Creation

Basileae : Typis Georgii Deckeri, [1647]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/fpd6mjx5>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

De

THERMARUM POTU

IN BRABEYTHPIΩ

INCLYTÆ ACADEMIÆ

BASILEENSIS

Cum solemnitates Doctorales subiret
publicè dicta

A


JOANNE JACOBO WEPFERO

SCAPHUSA HELVET.

Med. Doct.

*Anno Salvatoris, M. DC. XXXVII.**Mens. Jul. d. XXVII.*

BASILEÆ, Typis GEORGI DECKERI,
Academiæ Typographi.


VIR O
MAGNIFICO ET AMPLISSIMO
DOMINO
JOANNI JACOBO WEPFERO
APUD DISENHOFIOS
SCULTESIO DIGNISSIMO
MILITIÆ PRÆFECTO PRIMARIO
PIETATIS CULTORI SINCERO
MUSARUM PATRONO BENE MERITO
PATRIÆ PATRI
PACIS ET BELLI STUDIIS INCLYTO
UTROBIQUE
SAPIENTIA PRUDENTIA FORTITUDINE
AGENDORUM DEXTERITATE
LAUDATISSIMO FELICISSIMO
PATRUO OPTUMO
EVERGETÆ SUO MAXUMO
ORATIONEM HANC INAUGURALEM
OBSERVANTIÆ OBSEQUII GRATITUDINIS
DEBITUM SYMBOLUM
SUBMISSE DEDICAT
JOAN. JACOB. WEPFER. M.D.
EX FRATRE NEPOS.





ORATIO

De

THERMARUM POTU.



MIRAMUR, *Magnifice Domine*
Rector, Amplissime Domine Tribune Ple-
bis, Prudentissimi Domini Scholarchæ, Spe-
ctatissimi omnium Facultatum Domini De-
cani, plurimum Reverendi, Consultissimi,
Excellentissimi, Clarissimi Domini Profes-
sores, Domini Hospites Venerandi, Nobilissimi, Doctissimi:
Tuq̄, florentissima Studiosorū corona: Miramur inquam
superba Babylonis mœnia, vacuo aëre pendentia
Mausolea, vastum Colossus, & quæ præterea Mun-
di miraculorum nomine antiquitas laudavit; hu-
manæ industriæ humanum captum ferè superantia
specimina, at non humanæ sortis expertia exem-
pla: scilicet quæ cum authoribus suis ita perierunt,
ut præter nomina vix alia vestigia remanserint, &
nescias an præsentia vel fidei vel famæ eorum de-
rogatura sit. Multos Romanæ potentia etiam ru-
dera suspensos tenent, splendida vel pristinae ma-
gnificentia, vel sinistrae pietatis vel immanis lu-
xuria monumenta. Nemo mihi vitio vertere pote-
rit, si in solemni hoc actu incomparabile Architecti
Optimi Maximi opus Thermas in medium jussus

produxero, & potissimum, An & quomodo Thermæ in potu convenient? verba fecero. Tantum enim hæc humanis figmentis præstant, quantum Authorem sublimiorem & sapientiozem habent. Nihil mihi hac vice artificiales veterum Romanorum Thermæ negotii faceffent, quarum usus & conditio cum operosa strue defuit: nec scrupulū mihi injiciet decantatus calidæ potus, non tam sanitatis quàm pravæ voluptatis gratiâ illis ipsis in frequenti usu positus. Thermæ Æterni Creatoris mandato in primordio rerum factæ me jam exercebunt. Agnosco rei profunditatem & ingenii mei vires quàm imbecilles sint, & meam in tam augusto loco dicendi imperitiam, ut facilè discurrendo lapsurum, recitando hæsitaturum, & pulcherrimo argumento debitam gratiam me dempturum extimescam. Vos Auditores omnium Ordinum præstantissimi consuetâ virtute mihi benevolas aures commo-
detis oro, & si quid præter expectationem vestram tenuius dixero, æqui bonique consulatis rogo. Antequam de potus ratione disseram, primò quærendum est, An omninò tutus sit thermarum potus? ne frustraneo labore in reliquis desudem. Si vulgi hac de re sententia erogetur, prompta nobis aderit affirmatio, nec nos ulterius de hoc quæsito sollicitos permittet, atq; thermas ceu certissimam panaceam ad sidera tollet, sive commoda quibus extrinsecus nos beant, superstitiosè admiretur, sive quòd bibitas si non profuisse, tantum non nocuisse observaverit. At quis de meliore luto pectora finxit æternus Artifex, secus putant, qui in definiendis iis quæ ad sanitatem pertinent, oculatiores sunt, & non nimium credulos nos esse volunt; at potius quo
possu-

possimus studio dubia quæque penficulare jubent: Cùm non lignum, non lapis, non corium sit illud cui medicamina debentur, sed affabre Divinæ Imaginis domicilium, in quod impune ludere nullatenus licet. Si itaque rationum momenta attendamus, certè non pauca erunt, quæ thermarum potum strenue dissuadere videbuntur. Primum quod objicitur est insignis calor, quo thermæ præditæ sunt, qui præsentis virtute, quod ferventissimæ aquæ possunt, etiam superstitionum fide, si periculum fecerint, præstabit. Ova thermis immerfa indurantur, fetigera fetis, pennigera pennis exuuntur, ceu ab ebulliente aqua in cute vesicæ excitantur, & si diutius paulò in aqua detineantur, tandem membra enecabuntur. Nec tam facile huic calori remedium invenire est: sive enim frigida attemperemus, sive calidorum halituum evaporationem permittamus, multum virtutis aquæ subtrahimus, dum vel ejus efficaciam sopimus vel crassamenta solùm retinemus, tenues in auras spiritibus, qui thermarum anima sunt, disperfis. Longè adhuc difficilius est, de Causa hujus caloris aliquid certi statuere velle: qua tamen ignorata scientiam quoque rei vacillare necesse est, & occultorum usurpatio non undiquaq; in Medicina secuta est. Mirum profecto videri debet, si Peripatetica vestigia premere velimus, quidnam illud sit, quod in frigidissimo Eleméto Terra, frigidum magis Elementum Aquam, etiam per multa retro secula indefinenter fervidissimum reddere valeat. Soli, qui veluti Magni Mundi Cor est, & cuncta cœlesti calore reficit, ob tot quæ Creatoris indulgentia mortalibus

præstat beneficia, non pauci Philosophorum id ad-
scribunt. Nec enim tam stupendum Naturæ opus ab
alio quàm à tali principio expectandum putarunt.
Equidem cū sanioribus Philosophis æthereum hoc
jubar admiror: non tamen sinistra religione ductus
veritati vim faciam, & Soli hanc provinciã tribuam.
Si enim à Solis calore thermæ ebullirent, dubium
foret, utrum ad hominum cunctorumque viven-
tium perniciem magis quàm commoda divinum
opificium conditum fuisset. Nam quæ sæpius &
apertius radiis percutit, vehementius incalcescerent
quam thermæ, quæ è profundis terræ visceribus in
apricum erumpunt: limpidi fontes, rapida flumi-
na, stagnantes paludes, ad refectionem animan-
tium destinata, pecori pecorisque magistro exitium
adferrent. At longe aliter nobis sapientissimi Crea-
toris benignitas consuluit; vix enim Solis calore,
etiã in regionibus & tempore ubi & quando virtus
ejus est potentissima, aquæ, thermarum instar inca-
lescunt: & non admodum densi corporis objectu,
gelidi etiam fontium rivuli nobis conservantur.
Taceo, si Solem thermarum authorem statuere ve-
limus, nec eas perpetuas, nec frigido sub axe ob-
servatum iri. Aquas autem putare vel motu, vel
ventis calidis, vel à fulmine ita incalcescere, non
censura dignum existimo, cūm omni probabilitate
careat, ut quilibet mecum judicabit qui ther-
mas & quæ circa eas contingunt, vel superficiete-
nus intuebitur. Verisimilius me plurimorum cal-
culo facturum confido, si ad Lunæ Concavum dam-
natum ignem suis sedibus restituum, ipsique hunc
effectum tribuam: plura namque *Φαινόμενα* clarè
evincent, Magnam Matrem potius illum intra sua
viscera

viscera condere, quàm otiosè sub Luna commora-
ri. Cum enim omnia gelu rigent, fontes fumant.
Terrestres cavernæ hyeme tepent, & plurimis ani-
malibus tutum domicilium præbent. Ex plantis
quædam etiam profundis nivibus opertæ, florent:
ex multis Helleborum nigrum nomino, qui, cum
brumæ sævities vehementissima est, circa festa Na-
talitia Salvatoris nostri pulcherrimum & vegetum
florem non tam proprio quàm hujus adiutus viri-
bus promit. A calore metalla perfici, & irritamen-
ta malorum regenerari in terræ visceribus, qui me-
diocriter illa tractaverit, haud ignorabit. Imo con-
spicua sæpe flamma, qualem culinaris Ignis emittit,
è terra prorumpit. Non quem sacrae historiae fissam
terram evomuisse ignem & rebelles devorasse, refe-
runt, indigito: cum hoc Jehovæ & supernaturali
mandato contigisse dici possit. Plurima tum recen-
tia tum antiqua monumenta testantur, sæpius Æt-
nam Siciliae, Vesuvium Neapolis, Heclam Islandiæ,
aliquot montes Americae horrendo tumultu & in-
genti vicinorum populorum damno copiosum
ignem cum aliis eructasse. Nec est ut de Ignis ali-
mento solliciti simus: qui enim his locis utilissimum
elementum inclusit, providè etiam de alimento
prospexit. Vix enim terrarum angulus est, qui non
pingue aliquod, gratissimum flammæ pabulum fe-
rat. Bituminis varias species puto, tum liquida
forma conspicuas, tum alieni corporis admixtione
induratas. Fluida sunt Naphtha, Petroleum, Bitu-
men liquidum sive pix liquida nativa, Maltha Pli-
nii, quæ, quod ferruminandis Babylonis muris
adhibita fuerit, celebris est. Duriora sunt Succin-
num, Ambra, Sperma ceti, Asphaltus, Gagates,
Terra

Terra & Cespites bituminosi, Carbo fossilis & Sulphur. Imò vix gleba tam arida & exsucca apparet, ex qua Chymici non pingue aliquod flammæ fomentum eliciant. Nec unctuosus hujus corporis thesaurus unquam ignis voracitate consumi potest: præterquam enim quòd procul dubio ditissimum penu in subterraneis locis latet, Creatoris etiã benedictione se multiplicat, & absumptum in sua matrice, quæ terræ cavernæ sunt, vi *πλασικῆ* regeneratur: aliàs tot retro seculorum ordinibus cespites bituminosi exhausti fuissent, qui non solum Septentrionalibus Oceani accolis, sed & quibusdam Americanis populis lignorum defectum resarciunt, & hyeme mala arcent frigora: & pridem petrolei fontes exaruisent, quos perennes fluxisse historiarum etiam antiquissimarum consensus probat. Nec est ut ignem subterraneum facilè extinctum iri vereamur, vel quòd hic impurus ignis spiraculis suis destituatur, vel quod aquarum cavernas terræ præterlabentium undis suffocaretur. Nam ea bituminum & congenerum materierum est natura, ut pertinacissimè flammam nutriant, & gelidissimarum undarum impetum eludere *πυρολέχνοις* cognitum est, qui globos massâ ex his compositâ infarctos desiderato eventu aquis committunt. Nec terræ sua spiracula desunt, nec instar silicis compacta est, quod fluminum & fontium perennitas asserit. Huic igitur potentissimo foco perpetuum thermarum calorem acceptum feramus. Cujus effectus fervor & ebullitio sunt, cujus alimentum sulphur & alia in vicinia larga semper copia deprehenduntur, imo cujus conspicua flamma circa thermas nonnunquam flagrare videtur. Non solum autem actuali quem Medici vocant calore

lore nocituræ videntur: nam latentem alium calorem fovent quo viscera incendunt, & inevitabili fato nobis imminentem intemperiem inducunt, & ante diem senectutem accersunt, & humido consumpto vitam eripiunt. Vim hanc thermæ consecutæ sunt non solum ignis qualitate aquis impressa, sed ipsis alimentorum substantiis communicatis; bitumen ipsum & sulphur per minima admixta sunt, quæ magna calefaciendi & siccandi vi pollent; quibus plerumque sal associatur: nonnunquam Alumen, Vitriolum, Ferrum, Argentum vivum, Æs, Plumbum, Argentum, etiam Aurum, adjunguntur: has substantias sapor demonstrat; quæ arte chymica humidi evaporatione ex aqua copiosè eliciuntur. Pleraque autem rerum harum, cum corpori nostro minus ἀνάλογα sint, maximè si in magna quantitate assumantur, grave aliquod nobis damnum parient. Nec rerum harum crassæ solum portiones permiscuntur, sed & spirituosæ, & in matrice sua probè elaboratæ & in ἀπόμυξις reductæ aquis insinuantur, unde limpidissimæ licet appareant, & omnis compositionis expertes, nihilominus potentissimis admixtorum viribus instructæ percipiuntur. Ob hanc causam quoque facilè sua virtute privantur, & vel per modicum tempus minus curiose tractatis spiritus exhalant. Præterea thermæ insimulantur, ac si ad calculorum in nobis proventum faciant, quibus crudelius tormentum & pertinacius in corpore vix extare potest. Hierapoli prope Laodiceam plurimas aquas calidas scaturire, *Strabo* author est, quæ ab incolis in foveas derivatæ sponte in lapideam duritiem abeunt, quibus ædificia, quod verè ex aqua est, construunt. Notum est quasdam esse aquas quæ cum tempore

ligna planè in lapides transmutant, fibrarum pristinâ retenta serie, soliditate & gravitate lapidem, imò ferrum referentia, ut flammis tradita non comburi possint.

Flumen habent Cicones, quod potum saxea reddit

Viscera,

canit *Ovidius in Transmutationum libro*. Pleræque objecta idonea lapideâ substantiâ cooperiunt. In agro Patavino celebres thermæ Aponenses molinæ vicinæ rotam, quam versant, brevi tempore lapide duro, compacto, aliquot digitos crasso incrustant. Maxima pars reliquarum thermarum canales, per quos ad usum destinata loca derivantur, tophacea materia, ceu Tartaro, obducunt. Plurimum enim succi lapidifici Terræ globo perfusum est, cujus præcipuè gratia, non caloris, non frigoris, lapides & gemmæ consolidantur: metalla coagulantur: herbæ, frutices, arbores lignescunt; nucleos circumvallantia putamina ossea redduntur, imò validiore & copiosiore succo se in horum poros insinuante, radices, caules, folia, flores, femina lapidea fiunt: hoc succo terrestrior seminis pars, quamvis liquida sit, in os, cartilaginem & ligamentum abit, quarum quædam si non lapideam duritiem nanciscantur, saltem lapidibus haud multò inferiorem possident. Ab hoc succo in pluribus corporis partibus, sæpissime verò in renibus Calculi generantur, non à calore pituitâ affante, vel frigore illam ipsam congelante; cum vix tantus calor & tam vehemens frigus in vivente & salvo corpore reperiri possit: & licet à calore longinquitate temporis id fieri posse regeratur, tamen, cum continuè in plerisque partibus, ubi frequenter calculus gignitur, quod exsiccatum est ab affluente humi-

humiditate irroretur, nec sic satis firmum patrocini-
 um caloris suscipitur. Fœtum in utero materno
 pluribus annis, matre supervivente, saxum factū fuis-
 se omnem admirationem superat, & ferè fidem, nisi
 tot Clarissimorum Medicorum autoritate id stabi-
 litum foret, qui variè ingenia in hoc prodigio exer-
 cuerunt. Et hodierno die adhuc Venetiis apud Au-
 rifabrum quendam Gallum adulterorum Adaman-
 tum artificem cum stupore conspicitur: Ossæ par-
 tes planè lapideæ instar filicis sunt, carnes fabu-
 losæ, fibræ chordulas in filamenta direptas refe-
 runt; omnia figura, magnitudine, numero, or-
 dine, connexionione pro fœtus conditione perfectis-
 sima apparent: brevi, tam egregia sunt omnia, ut
 intuentem hoc monstrum Phydiam operæ suæ vel
 pudere vel pœnitere possit. In multorum ore est ex
Aventino, quinquaginta rusticos apud Charinos
 in lapides diriguisse ex spiritu lapidifico terræ motu
 ex imis visceribus erumpente. Adeò ut ex his omni-
 bus veritatem rei credere possimus, & firmiter ther-
 mis, quæ ex his locis prodeunt, calculi generatio-
 nem adscribere audebimus. Et eò faciliùs calculum
 in corpore nostro thermæ producent, quod etiam
Αίθεσις calculosam partibus, quas perluunt, impri-
 munt, unde limosum citius adhærescit & acceden-
 te ulterius succo *λιθογόνω* in calculum transit. Gra-
 vissimum adhuc crimen, quod thermis attribuitur,
 restat, quo veneni accusantur. Quod si verum esset,
 jure nobis earum usum detestandum faceret: quem
 enim vita juratum magis hostem hōc vereatur? cu-
 jus tota natura in eo sita est, ut cito exigua portio-
 ne vitæ principium affiliat, expugnet & interficiat.
 Qui hoc asserunt, præter Principum Medicorum

authoritatem quâ plurimum nituntur, sententiam suam etiam rationibus roborant. Nam ut antea dictum est, non simplices sunt hæ aquæ, sed alimenterum ignis subterranei & aliorum mineralium *ἄτομοι* ipsis permiscentur, ferri puta, plumbi, cupri, argenti vivi, argenti & auri, quæ non solum nullam affinitatem cum corpore nostro habent, ast quoque, maximè in spiritus resoluta calidum innatum, vinculum animæ cū corpore, destruere valent. Adde, quod ex sulphuris & Argenti vivi in fausto connubio Arsenicum pestilentissimum venenum generetur, quæ tamen ambo circa thermas obviam fiunt; illud quidem inseparabile à thermis est; hoc verò plerumque ipsis adest, sive seorsim & ab aliis metallis segregatum existat, sive ipsis, quorū etiam radix est & unde ductilia sunt, permixtum sit. Tum ab effectu venenatas esse evincitur. Sæpe ex thermis halitus effumant perniciosi, qui repentinam inspirantibus mortem adferunt. Hierapoli prope Laodiceam, ubi ditissimus thermarum proventus occurrit, spelūca est, Plutonium dicta, profunda, densa caligine repleta ex vaporibus à subjectis thermis elevatis, in quam si quod lubet animal intrudatur subito mortuum concidit. Simile antrum Puteolis ostenditur, ubi totius Italiæ thermæ copiosissimæ & celeberrimæ Bajæ sunt, quod *la Grotta della morte* vocant; in hoc incolæ advenarum causa sæpe canem projicere solent, qui primum animo linquitur, quem si in vicinum lacū Avernum immergant brevi vitam quasi recuperat; diutius verò in antro detentus irreparabili damno animam efflat. Et rarò insecta vel nunquam circa termas observantur; argumentum certè, calidum innatum horum animantium,

tium, cùm tenerum fit, à thermarum fuligine venenata dissipari; unde si illam sentiant, vel se ab his locis proripiunt vel extinguuntur. Deniq; veneni suspicionē haud mediocriter hoc auget, quod Psilothri instar ex auripigmento & similibus compositi, pilos eradicet. Hæc fere sunt quæ nobis thermarum potum invisum reddere possent. Quæ licet veritatis aliquo colore nitere videantur, tanta tamen non sunt, ut earum usum, etiam quoad interiora, eripere valeant. Primo enim magna est thermarum diversitas, sive incendium quo aquæ incalescunt consideres, sive ignis alimentum respicias, sive denique ea quæ se utriq; associare solent attendas. Quamobrem & viribus variant, & sæpe sanitatem instaurant, sæpe quoque illam evertunt. Deinde quæ à vitiis gravissimis immunes sunt, non omnem & promiscuum usum ferunt, sed quoque

*Est modus in thermis sunt certi denique fines,
Quos ultra & citra nequeunt consistere sana.*

Et ne quid rerum trans septemplicis ostia Nili & ultimum Gangem geratur, solliciti simus: quin Inclytam Patriam nostram adeamus, quæ inter alia Dei Optimi Maximi egregia bona, etiam thermis abundat. Has nullatenus horum malorum participes esse, quibus hæctenus thermæ infimulatæ fuerunt, facile intelligemus, si fidam rerum Magistram Experienciã consulamus: ac quotidie observatur quam multi, etiam potu, Thermas usurpent cum magno sanitatis incremento, si modò id conscio artis perito & prudenter faciant. Et quidem Piperinarum actualis calor tantus non est, ut vel minimam molestiam cuicunq; ætati vel temperamento ex fide dignissimorum autoritate pariat. Badensium Ergo-

viæ licet intensior sit fervor, tantus tamen non est, ut vel ipsi scaturigini immerso vesicas in cute extrahat, vel eum pilis nudet: imò, quod mirum est, aqua tactui in cute intolerabilis ore absorpta tepida fere apparet. Non dissimilis Leucensium conditio est. Adeo ut nondum caloris actualis gratia extimescendæ sint, nec thermæ frigida temperandæ, nec fervor exspirando moderandus sit; qua ratione potius virtus enervaretur, & crassamenta nulli viscerum proficua futura relinquerentur. Satis quoque probabilis sententia est, qua thermæ ab igne subterraneo incalescere dicuntur. Ignem enim subterraneum existere nemo dubitabit, qui naturæ librum attenta & non occupata mente evolvat; & in thermis effectus ignis elucescunt, imo ipse sæpe aperta flamma circa thermas emicat: merito igitur ipsi adscribi debent. Posito autem causam caloris plane ignorari, non tamen ab illarum usu desistendum est, quas experientia salubres probavit, eò quod id thermæ cum plurimis medicamentis commune haberent, quorum principia sæpe vix ab Eruditissimis etiam mediocriter cognoscuntur. Licet etiam præter actualem calorem absconditum alium foveant, & Sulphur, Sal, Alumen, Vitriolum, Ferrum & similia per minima ipsis misceantur, non tamen his de causis exitiales redduntur, si rite assumantur. Nam vires harum rerum mediocriter & à copiosa aqua refractas obtinent; & ponamus integras persistere, nihil tamen obstabit, quin audacter bibamus, cum singula hæc sola, usu exigente feliciter à Medicis propinentur. Nec exsiccatio aliqua præprope-
ratimenda est, cum non ad tabem pronis, nec sanis thermarum potus suadeatur, sed iis qui vitiosis hu-
mori-

moribus scatent; tum enim non membrorum humidum prius oppugnatur, quam præter naturalis humiditas absorpta fuerit. Thermas succi lapidifici participes esse negari non potest; nimium enim manifestè ejus effectus in plurimis animadvertuntur: aliæ tamen illius plus, aliæ minus obtinent. Helveticæ nostræ omnes, quantum habitantium fide constat, hoc vitio ferè immunes sunt, & solum canales quos præterlabuntur tophis operiunt, idque non nisi longo tempore, non dierum, non mensium serie: Unde sine calculi metu tutò bibi possunt; accedente & hoc, quòd non diu in corpore perseverent, atque per paucos solummodo dies earum potus continuetur. Pestilentissimum malum demoliendum superest, & veneni suspicio à thermis removeri debet. Quod non difficulter fiet: nam concedamus pleraque metallis perfusas esse, propterea tamen venenatæ non sunt, cum omnia metalla venenata esse nemo affirmare audeat; & licet corpori nostro non affinia sint, tamen hanc ob rem malè audire non debent; sic enim medicamento nomen merentur, quæ inter alimentum & venenum medium quid sunt. Omnia tamen metalla à veneni culpa vindicare velle, insani esset; cum validiora nulla sint, quàm quæ ex horum numero sunt. Itaq; si tale aliquod, quale ex multis arsenicum est, has aquas inquinet, sine dubio illas lethales efficiet. Ab his vitiis quàm alienæ nostræ thermæ sint, non fidiorem testem ipsa Experientia expetimus, quæ, ex multorum salute earum potu reparatâ, ab hoc crimine semetipsas purgabunt. Conjugium nudi Mercurii cum sulphure non admodum frequens est & rarò circa thermas observatur: cum aliis verò ceu
princi-

principium metallicum concurrens argentū vivum, innocuum deprehenditur, tum quod purius & in auro purissimum sit, tum quia ejus damnosæ qualitates à comitibus frangantur. Nidores sulphurei, qui ex specubus quibusdam exhalant & mortiferi sunt, non omnibus thermis affingi debent. Et in ipso agro Cumano, ubi mortis Antrum esse diximus, spelūcæ aliquot sunt, quæ sulphureis exhalationibus incallescunt & incolis ad Veneris piacula eluenda inserviunt. In agro Romano Baccani antrum est quod blando vapore impletur, qui ex aqua sulphurea & vitriolata assurgit, & à serpentis genere quod cives ejus loci *le Amorevole* vocant frequentatur, in quod si ægri morbis chronicis etiam gravissimis afflicti immittantur, brevi persanantur, dum à vapore & tepore loci sudor elicitur, quem sopitis vel quietis ægris serpentes, amici dicti, abliguriūt; hinc Medici Romani, ne ægri rei periculo percellantur & perterriti cōmōtione serpentes fugent, opiata ante ingressum ipsis exhibent. Hæc ex ore *Illustrissimi Equitis Casiani dell Pozo* habeo, quæ confirmat *Excellentis. Petrus Servius quondam Urbani VIII. Pontificis Maximæ Medicus*, qui ejus mentionem in suo *de Unguento Armario tractatu* facit. Adeò ut etiam insecta aquas sulphureas sustinere posse videamus: quod autem non ubique observentur, id frequenti hominum affluxui tribuendum est, quem hæc animalia averfantur: adde, quod, quæ his inimica sunt non statim homini perniciem adferunt. Denique Psilothri instar pilos extirpare, forsitan aliis tribui potest, nostris verò planè non convenit, sensibus ipsis renuentibus. Declinatis igitur gravioribus scopulis, quas salubri thermarum potui obstare invenimus, dicendum super-

superest, qua ratione commodè iis frui possimus. Cum autem thermæ naturam nostram & quidem potenter alterare soleant, sanis non convenient; nam hæc morborum præsidia, sanis accommodata morbosam partibus ἀλεξίθεσιν inducunt. Tum probè tenendum, illas non Panaceam quandam esse & omnium morborum ἀλεξίκακον, quod quàm falsum sit multi magno suo malo & cum vitæ jactura serò discunt, dum quocunque affectu corripiantur, huc ceu ad sacram anchoram confugiunt. Et primum non locum habent in morbis acutis, & aliis qui calidi sunt & à calida causa foventur: nec propinandæ

Cum mala per longas invaluerit moras.

Tum enim generosa medicamina profananda sunt, cum ægris mortem re desperata adferant, qui mitiori & palliativa cura delinuti diutius vitam traxissent. Sed cum omnes thermæ & quæ nostris è jugis erumpunt, insigni calefaciendi, siccandi vi polleant, tum attenuent, incidant, abstergant, & humores ita præparatos per urinæ vias, sudorem & ventrem evacuent; (Piperinæ quoque stomachum primis diebus, si impurus sit, evertant) potæ convenient Affectibus frigidis & humidis tum nudis tum à simili humore; item viscido crasso enutritis. Proderunt nimirum in Intemperie frigida & humida Ventriculi, Intestinorum, Vasorum Mesaraicorum, Pancreatis, Lienis, Epatis, Cordis, Pulmonum, Renum, Vesicæ, Uteri, Capitis. Meritò igitur ab artis Pœoniæ proceribus laudantur in affectibus à dictarum partium morbis oriundis. In stomachi scilicet debilitate, ejus doloribus distensivis, appetitûs dejectione, Lienteria, Cœliacâ affectione, Diarrhœa pituitosa, Obstructione Mesenterii tartareâ, ut &

Epatis acejus ἀπορία, in Cachexia si viscera salva sint & continens causa pituitosa, In Podagra, Asthmate, Dyspnœa à pituita tenaci: In phthisi etiam quibusdam commendatur thermarum potus; vix tamen probandum existimo: licet enim exsiccet abstergatque atque ratione sulphuris peculiariter affectui huic dicatus esse videatur, plurimum tamen excedente calore nocet, dum hecticam phthisis comitem per se mortiferam & immedicabilem adauget, tum quoque antecedentem ulceris causam accumulat, ni tempestive excernatur. Prædicatur in renum dolore à cacochymia pituitosa eorum locorum, in segnitie renum in attrahendo & segregando serum; in vesicæ imbecillitate & urinæ stillicidio ex causa pituitosa frigida: in doloribus uteri à causa frigida, Mensibus albis, sterilitate ob Uteri lubricitatem, Capitis deniq; affectibus pituitosis, si malorum fomitem ex inferioribus partibus nanciscatur: aliàs thermarum externus usus commodior foret, qui Italis frequens est, dum aquam thermalem guttatim super suturas stillant. Ut autem lætum eventum in horum affectuum curatione consequamur, nos temporis, quantitatis, aliarumque circumstantiarum ratione certis legibus adstrictos esse oportet. Primò ergo bibendæ non sunt, cum gelu cuncta rigent vel æstu nimio languescunt; licet enim tum thermæ easdem fermè vires retineant, ob alia tamen omitteandæ sunt; nam tunc vel viæ angustiores sunt, ut natura aquam excernere nequeat, vel squallore infirmior est, quàm ut ad expellendum sufficiat. Eligenda itaque tempora mitiora, qualia erunt exoptata, finis Veris, principium & ultimum Æstatis, initium Autumni. Antequam potus occipiatur, primæ cor-

poris

poris regiones à superfluis mundandæ sunt: tum ex ipso fonte puriores & illibatæ bibantur. Commodissimæ potandi horæ sunt matutinæ, prius sæcibus exonerato corpore & modica deambulatione calore suscitato: tum à prandio vespertinæ cùm cibi concoctio in ventriculo peracta fuerit. Quidam in tempore definiendo Lunæ *Φάσις*, attendunt potusque auspiciam crescente Lunâ sumunt. Non verò nimium bibendum est, nec salutis punctum in vastis poculis exsiccandis versatur: omne nimium naturæ inimicum esse, Dictatoris nostri γνώμη est. Primi diei potum definiunt ita ut sint uncia circiter sex quibus mediocris cyathus impletur, secundo tot adjiciuntur; sic progrediendum singulis diebus donec potus ad uncias triginta creverit, sive mensuram nostratam, tum si in hac summa *δύο* aliquandiu per duos scilicet tresve dies hæsimus, quotidie iterum cyathus potui demendus, usque quò illam quantitatem attingamus unde curam exorsî sumus. Quantumcunque autem bibatur non affatim unòve haustu ingurgitetur, cum ventriculus hoc subito ingruente nimbo valde percellatur & ad vomitum concitetur: in asthmaticis & qui de pectoris angustia conqueruntur, suffocationis metus imminet. Nec periculum impendet hac cunctatione spiritus evanituros, non enim tam imbelli vinculo cum aqua nexi sunt, ut vel in momento pereant. Quando intra corpus assumptæ fuerint, primùm parum requiescendum est: quidam ad lectum se conferre suadent; postea modicè corpus exercendum, ut calor viscerum excitetur, qui ut thermæ efficaciam suam citius exserant, opusque suum alacriùs aggrediantur, præstabit; cavendum tamen diligen-

ter, ne modum excedamus in exercitio, ne naturæ motus impediatur vel vires labefactentur. Tum itaque natura insurget, si robusta sit & viæ expeditæ, & cum thermis simul vitiosos humores exturbabit. Si præter spem eveniat, ut per nullam publicam viam evacuentur, naturæ vim patienti succurrendū est, & quo vergunt humores medicamentis dirigendi sunt: si nec hac ratione stagnantes thermæ effluerelint, cathartics, sudoriferis & diureticis adoriendi & ejiciendi erunt. Tum quoque à potu thermarum plane abstinendum est, atque ad alia remedia quæ morbo adversa erunt confugiendum erit. Si ventriculus in sueta aquarum copia primum gravetur, stomachicis roborari potest, iisque five ante potum five statim à potu sumptis. Alia accidentia si forte obtingant, ut sæpe commota latentium humorum camerina fieri solet, præsentis Medici prudentia moderari poterunt. Hic non abs re erit, si quæramus, An dum thermas bibimus simul pro balneo iis frui possimus? Si ex nostrorum hominum consuetudine res definienda foret, expedita esset responsio. Solent enim illi non vel raro Medico in consilium adhibito utrumque thermarum commodum jungere; sic se curæ compendium facturos sperant, dum undiquaque hostem aggrediuntur. At sæpe magno suo damno quidam incaute & intempestive id audentes irreparabile sanitatis dispendium sibi accersunt, quo non nisi ultima rerum linea eximuntur. Clarissimi quidam Medici thermas bibendas & uno eodemque tempore iis lavandum esse negant, cum ad contrarios motus natura invitetur, quos illa summopere averfatur, & in illa motuum contentione nullum rite peragi arbitrantur.

Alii

Alii fama & rerum usu haud minores, si legitime omnia fiant, hoc non improbant: nec temere ita sentiunt. Cùm enim rarò thermæ ventrem moveant, ut plurimum autem per sudores & urinæ ductus evacuent, & balnea hos motus adiuvent, non erit ut ab illis abhorreamus. Balneum namque caliditate & humiditate poros referat, humoribus exitum parat, ex profundo corporis quicquid vitii est, ad ambitum allicit & evacuat, nec minùs urinæ vias laxat, ut eò faciliùs humores elabi possint: unde tam desideratus semicupiorum usus est, si calculo renes & ureteres torqueantur. Imò quidam experientiâ celebres Medici non potandas thermas asserunt, antequam corpus per quinque dies balneo emollitum fuerit & humoribus vitiosis ita exitus pateat. Cum excoriatio à balneo supervenerit, aliquandiu potum suspendendum referunt. Totum potus tempus ultra quatuordecim dies extendendum esse, plurimorum calculo concluditur. Quandiu autem in potu ægri versantur, & subsequenti tempore constanter gulæ imperare debent, nisi hostem, quem thermæ sustulerunt, ultro in corpus revocare velint, vitiumque intra corpus & in sinu serpentem fovere cupiant. Cibus assumatur facilis coctionis & in ea quantitate, ut à ventriculo brevi etiam tempore superari possit, ne curæ mora injiciatur: sit laudabilis substantiæ & idoneum nativo calori alimentum. Varietas ciborum cruditatum parens fugiatur. Cibi variis stomachicis & cardiacis aromatisque condiri possunt. In potu vinum permittitur maturum, spirituosum, non nimis generosum, ne sitis accersatur amplius quam excitabunt

thermæ. Nocturno somno vires refocillentur. Si
qua evacuatio suppressa sit, ejus ratio habenda, &
quàm levi potest negotio revocetur. Genium ju-
cundis amicorum colloquiis reficiat, absint pro-
fanæ curæ, inanes mœrores, profusa gau-
dia, horridi animi fre-
mitus.

D I X I.



AD

NOBILEM ET CLARISSIMUM
VIRUM,

JO. JACOBUM WEPFERUM,
MEDICINÆ DOCTOREM,
COGNATUM CARISSIMUM.

SIC, ducente Deo, summo es ornatus honore,
WEPFERE, o anima gloria magna mea,
Quem generosa tibi virtus, artesq; decora,
& vigor ingenii promeruerunt tui.

*Praclarum est, teneram sic transegisse juventam,
ut reliqua hinc atas cultior esse queat.*

*Praclarum est, nullos sic defugisse labores,
nulla ut transierit desidiosa dies.*

*Praclarum est, patrios sic deseruisse Penateis,
cum tanta ut liceat laude redire domum.*

Praclarum

*Præclarum est, celebres sic audivisse magistros,
ut detur, bene nunc posse docere alios.
Præclarum est, doctos sic pervolvisse libellos,
rite suo, ut leve sit, scribere Marte libros.
Omnia præclara hæc : sed erit præclarior ipse,
divina hæc in quo munera conveniunt.
Cum tibi DOCTORIS titulum donaret Hygeja,
& faceres Clario verba diserta choro;
sat cunctis, credas, prompto sermone probasti,
quid valeant Genii dona benigna tui,
et bene-acta ætas, labor ingens, in peregrinis
exculta ars, doctis vita polita viris.
Quid valeas calamo, comtus docet iste libellus,
qui, quæ audita prius, nunc relegenda dabit:
potu, ubi demonstras, adsumta sintne salubres,
tellus quas calido gurgite fundit aquas?
I felix, patriosq; Lares, carosq; parentes
invisæ, & quorum pectora candor habet :
prende tui patris dextram, vultumq; serenum
adspice, qui patriæ lux columenq; mea est:
et mecum in socio subcrescas semper amore,
sic ipsi ut nostri nos docuere patres.*

STEPHANUS SPLEISSIUS
DISENHOFIUS.



The image shows a page of text that is extremely faded and difficult to read. The text appears to be a list or index of items, possibly related to a medical or scientific study. The words are mostly illegible due to the fading, but some fragments are visible, such as "Cura", "Ductor", "Clavis", "Liber", "In", "Pars", "Partis", "Liber", "Pars", "Partis", "Liber", "Pars", "Partis", "Liber", "Pars", "Partis".

STEPHANNUS (SPERITUS)
DISSEMINATUS.

